

inferes. Aliter cucumeres: piper, puleium, mel vel 3 (78)
passum, liquamen et acetum. interdum et silfi accedit.

VII. PEPONES ET MELONES. Piper, puleium, mel vel (79)
passum, liquamen, acetum: interdum et silfi accedit. 4

VIII. MALVAS. Malvas minores <in> oenogaro ex liqua- (80)
mine, oleo, aceto. — Malvas maiores in oenogaro, pipere,
liquamine, caroeno vel passo.

IX. CYMAS ET CAVLICVLOS. 1. Cymas: cuminum, 1 (81)
salem, vinum vetus et oleum. si voles, addes piper et li-
gusticum, mentam, rutam, coriandrum, folia cauliculatorum, 10
liquamen, vinum, oleum. Aliter: cauliculos elixatos me- 2 (82)
diabis, summa foliorum teres cum coriandro, cepa, cumino,
pipere, passo vel caroeno et oleo modico. Aliter: cauli- 3 (83)
culi elixati in patina compositi condiuntur liquamine, oleo,
mero, cumino. piper asparges, porrum, cuminum, corian- 15
drum viride super concides. Aliter: cauliculi conditi ut 4 (84)
supra cum elixis porris coquantur. Aliter: cauliculos con- 5 (85)
dies ut supra, admisce olivas virides et simul ferveant.
Aliter: cauliculis conditis ut supra superfundes alicam 6 (86)
elixam cum nucleis et uva passa; piper asparges. 20

X. PORROS. 1. Porros maturos fieri: pugnum 1 (87)
salis, aquam et oleum: mixtum facies et ibi coques et
eximes. cum oleo, liquamine, mero [et] inferes. Aliter 2 (88)
porros: opertos foliis cauliculatorum [et] in prunis coques, 24
ut supra, et inferes. Aliter porros: in † baca coctos ut 3 (89)
supra inferes. Aliter porros: <si> in aqua elixati erunt, 4 (90)
fabae nondum conditae plurimum admisce conditurae, in
qua eos manducaturus es.